

EIVSDEM VITA.

VERA CAPBLBECCI fuit illa figura Iacobi,
Septem æui emensi lustra, decemq; sui.

Lucem Augustano, Schönbergæ, accepit in agro,

Et Studij hîc didicit prima elementa sui.

Lipsia, Francfurtum Mœnense, Tubingaq; Musis,

Atque Ingolstadium pòst coluere suis.

Quæq; ipsum Sophiæ fecit, VViteberga, Magistrum,

Et charum magnis quæ dedit esse viris.

Diue LVTHERE, tibi; geminos cui charus in annos

Conuictor multa commoditate fuit.

Magne PHILIPPE, tibi; duce quo Præceptor in Aula

Saxonica effectus; pòst, Baro FELSE, tuus.

Timotheo, Ambrosio LVNGIS; Paulo, atque Iohanni

Baptistæ pariter factus & HAINTZELIIS.

Sic hos excoluit studijs & moribus omnes,

Summorum vt nacti nomina vera virum.

Hos Italum duxit, Gallorum hos duxit in oras,

Ob studij, & variæ cognitionis opes.

Doctorem hunc tandem fecit Ferraria Iuris:

Moxq; Professore Sueua Tubinga suum.

Prò quanto studio, qua dexteritate docebat,

Iudicio præstans, consilijsq; suis?

Quæq; alijs Iuris dedit inclyta nomina Praxis,

Ille Theorias in statione tulit.

At pietas illi, virtutum maxima, quanta?

Qui zelus, veræ & relligionis amor?

Sapè Decanus erat Iuris; Rectoris & ingens

Magnifici magna laude subiuit onus.

Emeritus tandem, vitæ satur, omnibus æui

Laudibus exacti mortuus, astra petit.